





1766, 22.  
No. 52

SPECIMEN  
CONTINENS  
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM  
DE  
**NON VSV QVARTAE**  
**FALCIDIAE**  
IN  
LEGATO DEBITI  
QVOD  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE III. SEPTEMBER. ANNO CIDIQCCLXVI.  
DEFENDET  
**IOHANNES GOTTLIEB MIRVS**  
ZITTAV.

---

LIPSIAE  
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.

STEGIMEN  
CAPUT IARS. CONTRIVARIA  
NON VSA GAVRATI  
TALCIDIAE  
LEGATO BRETI  
GAVO

PIUS I. OCTORVM ORDINE GRATIA  
P. R. VESPIDAE  
D. CHRISTIANO HENR. BRENNING

IN AVATORIO PETRINO  
DIE IN SITTULANO CLOCCAZA  
DETTAMENT  
JOHANNES GOTTLIEB MIRAS

---

LIPSIÆ  
LITTERIS AIDAE LANDORINIENSIA



D E

# NON VSV QUARTAE FALCIDIAE

I N

## LEGATO DEBITI.

### §. I.

**I**uris est permisssio in testamento, cunctas res legati titulo relinquere, quae in priuatorum commercio sunt, sive sint testatoris propriae, sive sint alienae, sive ipsius heredis, modo liberalitatis quaedam ratio in legato occurrat, ita enim definiebat legatum, quod sit donatio quaedam a desuncto relista Imperator IVSTINIANVS §. I. de Leg. Hinc dubitatio enata, an recte debitur

A 2

tum

\* \* \*

tum legari possit? quippe vix in eo legato aliqua liberalitatis species deprehenderetur. At vero distinctione aliqua apposita, vsum huic legato tribuebant, videlicet, inutile videbatur legatum, si plane nulla utilitas ex eo legato ad legatarium ex liberalitate testatoris veniret, ad quam ordinandam nullo perfecto iure tenebatur. Ita sane intelligendus **IULIANVS** in **L. 11. π.** de liberat. **logat.** Respondit: *quotiens debitor creditori suo legaret, ita inutile esse legatum, si nihil interesset creditoris ex testamento potius agere, quam ex pristina obligatione.* Intererit autem; *Si, vt ait **VLPIANVS** in **L. 28. π.** de Leg. I. creditori meo, tutus aduersus eum exceptione, id quod ei debeo legem; utile est legatum, quia remissa ei exceptio videtur.* Clarius ipse **VLPIANVS** loquitur in **L. 7. §. 2. π.** de Leg. III. *Si qui creditori suo legauerit, id quod debet; fideicommitti eius non poterit: nisi commodum aliquod ex Legato consequatur: forte exceptionis timore, vel si quod in diem debitum fuit, vel sub conditione.* Hinc e contrario, si aliqua ex Legato utilitas ad creditorem veniat, vt ergo potius ex testamento agat, quam ex pristina obligatione, dubium non est, *utile esse legatum debiti.*

## §. II.

Sed quid faciamus cum **SCAEVOLA** in **L. 28. §. 13. ff.** de liber. **legat.** Ita scriptum fuerat: *Quidam ita legauit: SEMPRONIAE VXORI MEAE REDDI VBLEO AB HEREDIE VS MEIS QVINQVAGINTA EA, QVAE MVTVA ACCEPERAM CHIROGRAPHO PARTICVLATIM IN NEGOTIA MEA, quaesitum est, an, si verus vxoris debitor fuerit, fideicommissum constiterit, respondit: si debita fuisset, nullum esse fideicommissum.* Non opus, vt debita mutemus in debitor, subintelligitur enim pecunia. Videtur Scae-  
uola

\* \* \*

5

uola fideicommissio debiti utilitatem negare. Quidni ergo, quae in legato vtilia erant, ea inutilia sint in fideicommissio? Rectus sane Scaeuela, ob verba, *si debita fuisset*. Patet enim ex §. 14. eod. Si banc pecuniam ut debitam apud iudicem petterit, et victa fuerit, caet. Verum adfuisse debitum, vt ne exceptione quidem repelli potuerit vxor, inutile debebat esse fideicommissum. Nam nec hoc themate quidquam intererat creditrici, an ex testamento potius ageret, quam ex pri- stina obligatione. Nec enim tunc *exaequatio* fideicommissorum cum legatis facta, cum Saeuola scriberet, vt vindicationis formula in fideicommisso dari potuerit, agendum ergo magis actione personali ex testamento, quae haud piguior erat ea, quae ex mutuo oriebatur, per quam quinquaginta petere poterat mulier; nec tacitae hypothecae legatarii atque fideicommissarii concessae in defuncti bonis, quas IUSTINIANVS demum in L. I. C. commun. de legat. et fideic. introduxit, vt ergo per hanc Scaeulæ tempore quidquam utilitatis accedere potuisset fideicommissio, recte Scaeuela negauerat, vtile esse fideicommissum, seu quod idem est, responderat, nullum esse fideicommissum.

### §. III.

Iam vero nouo iure, an aequo nullum sit fideicommissum videndum. Postquam Iustinianus legata et singularia fidei commissa per omnia exaequauerat, imo legatarii atque fideicommissarii in securitatem legati atque fideicommissi tacitae hypothecae ius, hypothecariaque actio concessa, atque demum si res singularis testatoris propria per fideicommissum relictæ, rei vindicatio competeteret; dubitandum non est, fideicommissum debiti maxime cum personale tantum ius in eo esset, non minus atque legatum debiti vtile esse posse.

A 3

### §. IV.



## §. IV.

Pergimus ad alteram partem. Non late referam, quae ad Falcidiam legem scripta sunt: Satis sit, effrenatam licentiam in legatis relinquendis, ob quam saepissime testamenta destituerentur, studio ultimarum voluntatum conservandarum limites scripsisse testatoribus primum Furiam legem, eaque medelam malo haud praestante, postea Voconiam legem, et cum nihilominus forsitan in fraudem legis agerent testatores, cum videbentur paruisse legi, demum Falcidia lata est, quae utique effecisse videtur et ne limites in scribendis legatis excederent testatores, et ut eo facilius conseruarentur ultimae voluntates. Prohibuit vero haec ipsa Lex: ne testator ultra dodrantem legaret seu ut sunt verba legitima: NE MINVS QVAM PARTEM QUARTAM HEREDITATIS EO TESTAMENTO HERedes CAPIANT. Dabatur ergo heredi non tantum ius de singulis legatis, si scilicet grauata esset hereditas tantum detrahere, ut integra esset quarta, quae ad heredem tanquam hereditas perueniret, verum si ex errore facti integra legata soluisset, quod scilicet non grauata putasset hereditatem, id quod plus solutum erat, quam per legem Falcidiam liceret, tanquam indebitum condicere. Sed haec satis nota.

## §. V.

Sicuti vero in regula de singulis legatis tantum heredi detrahere liceat, ut saluam suam habeat quartam; ita varia sunt legata, in quibus nulla Falcidiae ratio habenda. Sic CAIVS L. 81. §. I. π. ad L. Falcid. testatur, Dotem relegatam extra rationem legis Falcidiae esse, scilicet, quia suam rem mulier recipere videretur. Hinc recte concludetur in legato debiti nunquam Falcidiae locum esse posse. Vel enim legatum hocce inutile

inutile est, quia legatarii nihil intererat, an ex testamento potius, quam ex pristina obligatione ageret, et hoc themate omnis quaestio inutilis est de falcidiae quartae deductione; aut plus est in legato debiti, quam in ipso debito, cum creditor ius perfectum habere videatur ad exigendum id, quod ipsi debebatur, utile quidem erat legatum, sed quia suum videbatur recipere, deductioni Falcidiae locus non erit. Adfirmat hoc expresse VLPIANVS ex Marcello in L. 28. §. 1. π. de Legat. I. inquit: *Marcellus libro vicesino octauo putat; rem quam ex stipulatu mibi debes, si legaueris; utile esse legatum, ut neque Falcidia hoc minuat.*

### §. VI.

Sed cum contingere poslit, ut testator aliquid tanquam debitum leget, et forsan non debeat, non modo quaerendum: an legatum subsistat, sed an Falcidiae locus sit. An legatum subsistat dubium non est, videtur enim falsa esse demonstratio, quae legatum non vitiat, et ita pronunciauit in fideicommissi causa SCAEVOLA in L. 93. §. 1. π. de Leg. III. quae lex germinata totidem verbis scripta legitur L. 28. §. 14. π. de liber. leg. Verba sunt: SEMPRONIAE MVLIERIMEAE REDDI IVBEO AB HEREDIBVS MEIS CENTVM AVREOS, QVOS MVTVOS ACCEPERAM, quae situm est; si hanc pecuniam ut debitam Sempronia petens, vieta sit; an fideicommissum peti possit: respondit: secundum ea, quae proponerentur, posse ex causa fideicommissi peti, quod apparuerit, non fuisse ex alia causa debitum. At vero quaeritur, an Falcidiae quartae detractione, ut in vero debito locum non habeat? Et magis est, ut affirmemus in legato debito, quod debitum non erat, detractioni locum esse, ex ratione supra ex L. allata, quia



quia suum recipere non videtur. Quapropter si quaestio detrahendae Falcidiae occurrat, is qui legatum debitum exigit, nec detrahi vult quartam Falcidiā, sine dubio probare debet, verum esse debitum, quod ipsi legatum, et hoc modo Falcidiae ratio non habenda. At si victus erit, legatum quidem recte petet, sed Falcidiae ratio in eo habenda.

### T A N T V M .

### IV .



Leipzig, Diss. 1766 A 6



TA-OC



Farbkarte #13



1766, 22.  
No. 52

S P E C I M E N

C O N T I N E N S

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M

D E

N O N V S V Q V A R T A E  
F A L C I D I A E

I N

L E G A T O D E B I T I

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

E T S O C I E T AT. L I T E R. D V I S E B V R G.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE III. SEPTEMBER. ANNO C I C I C C I C C I X V I .

D E F E N D E T

I O H A N N E S G O T T L I E B M I R V S

Z I T T A V.

---

L I P S I A E

L I T T E R I S V I D V A E L A N G E N H E M I A E.